



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XLII. Voluit etiam Divinum Officium absque confusione fieri, & cum
fervore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

ante me est posita. Ego verò lætum ejus responsum audiens loquebar ei in hæc verba: *Utinam & nos omnes tales saltatores essemus.* Et quia idem Pater internè devotus erat, idcirco omni tempore & loco, & maximè in Divino Officio strepitum facere non volebat, noluitque quòd aliquis tam de familiaribus, quàm alijs Ecclesiam cum calopedibus intraret.

CAPUT XLII.

*Voluit etiam Divinum Officium absque confusione fieri,
& cum fervore.*

Multùm etiam ad hoc afficiebatur, ut Divinum Officium cum fervore & alacritate absque confusione perficeretur, & idcirco imposuit Magistro Novitiorum, ut saltem interdum cum junioribus Fratribus ad locum Capitularem vel Sacrificiam in unum congregatis Officium Dominicale Sabbato præcedente percantaret. Ubi idem Venerabilis Pater etiam aliquando se præsentem fecit, & inter simul cantantes Fratres stans mensurate cum iisdem percantavit. Cùm verò dissonantiam aliquam animadvertit inter illos, statim accedens cantum ad debitum melodiæ sonum illos docebat, omnia etiam impedimenta, quæ in Choro recollectionem mentis ejus impedire potuerunt, rejici fecit, & ideo quia Choralis lampadis splendor ejus obrutum impedivit, ut sublimiorem locum sortiretur, ordinavit. Sic & lucernis nocturnalibus ob prædictam causam umbraculum apponi jussit, ne visus cujuscunque Fratris tantis in opposito ardentis lucernæ splendoribus quovismodo impediretur. Prædictus etiam Pater in Choro stans, quando infra Missam in Symbolo cantabatur: *Sanc̃tam Ecclesiam Catholicam* sese ad hanc verborum prolationem reverenter inclinavit, quòd si in Missa Conventuali post Elevationem Venerabilis Sacramenti, quando præcipuè Fratres tenore Statutorum recolere debent beneficia nostri Redemptoris, aut etiam temporibus Benedictionis cerei Paschalis & Ramorum, vel dum alià in Divino Officio fiebant, quibus specialiter advertendum fuerat, vidisset aliquem ex Fratribus cum libellis suis ibidem occupari, statim in tubali voce per ipsum

ipsum facta innuebat Fratri tali, ut eo tempore dimissis libellulis intendere intendendis, interdum Fratrem, qui prædicta fecerat, ipse accessit, & ob istam culpam eum graviter increpavit, nam idem Pater consueverat dicere suis Fratribus, quòd meliora exercitia homo habere non posset, quàm si in divinis se exerceret.

C A P U T XLIII.

De Libris Choralibus & Libraria.

Libros etiam pro Divino Officio propagando magna ex parte per Fratres suos maxima cum laude scribi curavit, sicque de Librariæ libris factum fuit: quæ quidem Libraria ejus jussu & consensu per honorabilem Hermannum Nienborch Subpriorem domûs suæ ac sedulum sollicitatorem cum multis valdè utilibus libris custodiebatur, & quia divinos libros multum venerabatur hic prædictus Pater, sæpius Fratres suos fuerat exhortatus, ut eosdem absque pulveribus, & maculis diligenter custodirent. Propter prædictam causam instituit idem Pater, quòd Fratres, qui quacunque occasione habita matutinas cum Conventu minimè visitarent, postmodum venientes pro matutinis suis persolvendis uti non deberent lectionarijs, quibus Conventus usus fuerat, nec Antiphonarijs, similiter nec novo & meliori Psalterio, sed parvis Lectionarijs ac Nocturnalibus & Diurnalibus ad hoc scriptis suas persolverent matutinas. Hic prænominatus Prior etiam ad Ecclesiæ ornatum fieri fecit Altarium tabulas, quas cum devotis materijs per devotum Laicum Arnoldum pictorem, quem Colonia ad secum cohabitandum acceptaverat, depingi procuravit,

